

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXVI. [XCVI.]

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

at, & intra præscriptam summam, quantum fieri, poterit, se contineat, excluso tamen Pædagogii stipendio.

CXVI.

Gratiam & pacem à DEO patre & Domino nostro Jesu

Christo in spiritu sancto. Clarissime & doctissime D. D. Compater observande, frater in Christo charissime.

ET si, propter negotia, quæ mihi jam cum nepotibus meis ex fratre, satis molesta, intercedunt, quæ nunc ultra 12. dies me districtum tenent, festinanti huic Wolspergenſi tabellario literas committere ferè detrectassem, cum præsertim, propter crebras digressiones, ipsi à recta via usitatas, ne diutius meas detineret, metuerim, siquidem & ad me sibi commissas ante mensẽ, heri demum ad me pertulit, tamen tribus saltem verbis te salutare, & de acceptis tuis literis certiozem reddere decrevi. Quod igitur ad tuas, 13. Jul. Greg. datas attinet literas, Jenensis tabellarius mihi illas 12. Julii veri, fideliter reddidit, ex quibus dulcissimam voluptatem percepi. Ut enim rola mota, & navibus admota, suavissimo odore cerebrum & cor demulcet (per catachresin hæc minime commoda verba festinanti excidunt) ita amicitia fidelis sese verbis & factis explicans, dulcissimo spiritu cor afficit. Ad singula, ex ordine, jam respondere nequeo, pauca tantum ad ea, quorum brevissimo tempore meminisse possum, respondeo. Gaudeo, te Jenam mittendi literas occasionem habuisse. Spero, te ex ipso Rudenio cogniturum, quod tuas superiori anno satis maturè & fideliter ad ipsum miserim. Et sanè Rudenius ante multos menses suis ad me datis literis confessus est, se literas illas tuas accepisse, & tibi responsum dedisse. Jenensis scholæ statum floridum (utinam stabilem) ex aliorum scriptis haud dubiè cognitum habes. Quæ ad me Mylius scripta dedit, eorum exemplar tibi communicandum censeo. Eratam tuam & excellentia dona, dignissima quorum fructus in celebri Academia ad plurimos diffunderentur, considerans, optarim sanè, te ibi profiteri: sed voluntatem DEI expendens, qua mirificè ex Palatinatu ingrato, & perversa orthodoxis præferente, ad Nobilissimos Carinthios, verbi DEI amantissimos & syncerè veritatis studiosissimos, translatus es, valdè probo tuam pietatem, quam his verbis in tuis literis exprimis. Equidem malo spartam, quam in hac provincia nactus sum, ornare, quam onus viribus meis impar sustinere. Impar sanè (licet tua modestia laudem summam me eatur) non esset; imò si transferendus fores, nusquam aliò nec ad aliam provinciam te traduci vellem. Sed hæc potius causa est, quæ hoc tuum propositum mihi commendat, quod nullum evidens signum voluntatis DEI videam, quod te alibi esse velit. Est autem, ut ego quidem reor, evidentissimum, quòd DEUS te in illam provinciam deportarit & in stationem istam collocaverit.

Ex-

Expertus ego sum, quàm feliciter quis laboret in loco à DEO sibi designatò. Cum gemitu sæpe deploro infelicitatem consiliorum meorum, quibus interdum (majoribus inhians) ad mutandas conditiones usus sum. Hinc & nunc triste hoc exilium diutius fero, neq; vel ad unum amicum scripsi, promotionem petens, ne aliquid citra voluntatem DEI tentem. Unum opto, ut scilicet locum exilii alium habere liceret, propter intolerabilem ferè mihi tristitiam, quàm Ecclesiastici status, olim felicissimi, tetra mutatio non solum mihi, sed omnibus in hac urbe piis offert. Nulla mihi cum Ministerio comunio est. Hæc causa me movit, ut ad quosdam Amicos scripserim, si mihi commodare possint, ut alibi habitare daretur. Sed nihil dum effeci, neque ullum responsum à quoquam accepi, nisi quod D. D. Pappus mihi Argentinæ locum habitandi datum iri pernegat, & ne Basileam cogitem, vehementer dissuadet, dicens tantum Calvinistis illic locum dari. In omnibus igitur expecto voluntatis DEI patefactionem. Si DEUS etiam te aliò translatus voluerit, evidenter patefaciet. Vix lachrymas teneo, quoties mihi in mentem venit, quoties retrò oculos verterim, quando Francofurtò Mœni, invitis dulcissimis fratribus Hartmanno Beiero, Matthia Rhittero & aliis, in Sueviam me transferebam. Idem mihi aliquando accidit in Misnia. Sed juvenis manere nolui, senex ubi maneam, non invenio. Lachrymis meis conscientia justum DEI judicium objicit. Verum de his satis. Si DEO placeret, ut quod restat sexagenario ætatis, in absolvendo (de quo tibi aliquando scripsi) opere, consumerem, summo gaudio mihi foret. Si persuaderi posset tribus istis provinciis, ut singulæ modicum conferrent, forsitan fieri posset. Sed ego Carinthiorum & Carniolanorum liberalitatem, quàm longè supra merita mea expertus sum, amplius sollicitare erubescò. Stirios, cum certum aliqui demensum mihi decrerint, majori onere gravare nolo. Fiat voluntas DEI. Misi Francofurtum duo satis diligenter à me tractata opera, unum de justificatione, ut reor, absolutissimum, alterum de generibus *invasionum*, agitatis nunc disputationibus, ut reor, utile. Sed nec *Seitabend*/ nec alius typographus typos suos communicare vult, nisi ipse sumptus, receptis ad me exemplaribus, sufferam. Hoc autem mihi impossibile est. Editorum anno superiori exempla 400. retinere cogebam, mea pecunia redempta, nunc majus lucrum affectant typographi. Nec habeo suggesturum, idèò utilia illa opera perire patiendum est. Augetur tristitia exilio infœcundo, quod multum levationis haberet, si fructum otii mei ad posteros saltem mittere possem.

De Seitzlero miror, quòd nihil comperio, cum tamen literas de eventibus suis promiserit. Sed nec Doctor Scopperus quicquam mihi rescripsit. De domesticæ societatis felicitate per jucunda fuit narratio. DEUS illam tibi custodiat salutem ad Nestoreos annos. Sperat uxor mea, nunc feliciter peperisse tibi tuam costam, quam ipsa ardentè diligit & nihil tam optat, quàm ut semel saltem illam revidere possit. Petie ut eam ex se officiosissimè salutes. D. Sebastiano Weidlingero scribere nequivi, librum remittam ei, ubi commodè poterò, gaudeo cum tibi sua officia

officia probare. Saluteur ex me cum omnibus reliquis. Cur Pastori scripserim, conjicies facilè; lubenter omnia sanarem, si possem. Bene vale, Dulcissime Domine Comptater. Dabantur celeri calamo, Ratisponæ, 28. Julii veteris Anno 1589.

R. D. T.

Studiofissimus

Jeremias Hombergerus, D.



XCVII.

S. D. Reverende & clarissime vir, amice carissime.

GRATIAM tibi amanter habeo, quodd de rebus in vicina vobis Gallia & Helvetia recens gestis, me docuisti. Reddo vicissim ea, quæ in vicino orbe Atæto, superioribus mensibus, *ἀξίονα* evenerunt. Joannes III. Sueciæ Rex, cum conjuge Gwilla, filio Joanne infante; cum consiliariis ac ministris aulicis ac exercitu adversus Moschos ducendo, die 5. Augusti, Révaliæ appulit. Ex navi egressus, per pontem prælongum, pedes, cum Regina & gynecæo, per civitatis plateas præcipuas, sine tubis ac tympanis, arcem modestè petivit. Ad eum mense exeunte, filius Sigismundus Rex Poloniæ accessit, ut de communibus negociis regnorum & bello adversus Moschum conjunctis auxiliis gerendo deliberarent. Sed dum Reges Revaliæ colloquantur, Tattari & Turcæ, ex diversis partibus, impressionem in Poloniam terribilem fecerunt, de qua Zamoscii Cancellarii & summi exercituum Capitanei litteræ circumferuntur. Nunc Beglerbegum Turcicum, deditis ad pœnam Cosaccis, non ultra Tyram progredi, sed pacem cum Polonis Hæreditariam renovare velle, accepimus. Qua de re, Turcici, & Cancellarii Zamoisicii legati, ad Reg. in Livoniam missi sunt. Sigismundus 30. Septembr. à patre digressus in Poloniam rediit, pater in Sueciam Calend. Octobr. Rigæ Commissarii Regis Poloniæ, Severinus Bonarus & Leo Sapiecha, Lithuanicæ Cancellarius, de Tribuno plebis & Advocato civium, capitis supplicium sumserunt, duos Coss. exules pristino loco & fortunis restituerunt. Castellum ad ostium Dunæ solo æquarunt. De templo Jesuitis restituendo & Calendarii Gregoriani receptione, deprecantibus Senatu & ministris, res dilata, & ad comitia regni rejecta est. In Dania, Jacobi VI. Scotiæ regis, cum Christiani IV. Daniæ Regis sorore, ANNA, nuptiæ, Croneburgi, die 20. Augusti, celebratæ sunt, vires Scottorum Regis Sponsi tenente Georgio Reith, regni illius archimarschal-

Uuu

co,